

ferre, ac deuouere conuenit. Hoc ego dies noctesque, vt debo, cogitans, quim omnem ætatem meam, quæ iam sextum supra quinqua gesimum annum superauit, in Philosophiæ studia impenderim, & Aristotelis libris publicè in hac Patauina Academia interpretandis sex & viginti annos iugem operam nauauerim, si quid in ijs studijs, atque in eius muneri functio ne assiduis laboribus, vigilijsq; profeci, quod quam sit exiguum sentio, id totum non viribus ingenij mei, sed distributori omnium officiorum Deo attribuendum, neque in eius parui talenti dispensatione ministrum, non dòminum esse constanter existimauit. Id me mouit, vt hoc naturalium librorum volumen, quod ad vniuersam ferme Aritotelis naturalem Philosophiam explanandam in studiosorum usum edere constitui, primum ad te omnium supremum Sacerdotem deferrem, vt quemadmodum omnia mea studia, omniemq; in ijs profectum meum iampridem illuminatori mentium Deo accepta retuli, atque deuoui, ita hos laborum meorum fructus tibi C H R I S T I veri DEI apud nos Vicario reuerenter offerrem, & consecrarem. Hoc equidem iam tertio ab hinc anno cogitabam, quando libellum de Naturalis scientiæ constitutione tanquam huius magni voluminis exiguum partem in publicum proferre statuebam; sed veritus, ne gentilium more primitias tantum offerre velle viderer, & indignam ratus tua magnitudine paruitatem libri, qui non vt opus integrum, sed vt magni operis exordium ederetur, tunc satis habui illum Illustrissimi, ac summae spei adolescentis Alexandri Peretti Cardinalis, nepotis tui patrocinio commendare, tanquam deuotionis meæ pignus, donec totum absolutum opus tuo conspectu dignius redderetur. Hoc igitur vt fortunatum iudicandum est, quòd ei hoc tempore in lucem exire contigerit, quo naçtum sit te orbi regendo præfectum à Deo Pontificem, tum Philosophum sapientissimum, maximumq; Philosophorum sautorem, tum Christiana pietate, viteq; integritate, & omni virtutum genere cumulatissimum, à quo nunc Christiana Respub. expurgatam se omni scelere non absque admiratione confitetur, & gloriatur. Fortunatissimum erit, si à te hilariter exceptum, dignumq; tuo fauore redditum fuerit, impar quidem illud præ sua, authorisq;

humili-